Clarissime Vir,

Domine ac fautor optime,

Ignoscas rogo, tarditati meae in scribendo. Quo minus responderem, impedivit ~~[illegible]~~ Typographi negligentia, qui de die in diem huius opusculi, quod tibi simulque fero, impressionem distulit. Gratias interim, quas possum, maximas ago habeoque, quod mei non ~~im~~memor fueris amoris erga me tui tam clarum edere signum tibi placuerit. Dubia, quae movisti, grata mente accipio. Et quidem quod ad vocem Brandenburgum attinet; utrumque et sine n et cum n. recte scribi mihi persuasum est. Brandenburgum scripsit Lentingerus, Daltinus, Plattius et Gundlingius in Henrico aucupe; taceo Poëtas, quorum fragmenta invenies p. 7. Rerum Praecept. Brandeb. Multos alios e veteribus praetereo. Non tamen desunt, id quod lubens concedo, qui à tuis, vir clarissime, videntur stare partibus. Suspecta tamen videntur fides, ad quam provocas, Diplomatum. Illa enim raro ab orthographiae peritis scripta sunt; quemadmodum et hodie Scribas, quos vocant Secretarios, huius rei videmus ignarissimos. Rationi vero et pronunciationi Gallorum convenientius est tò n. in voce Brandenburgum omisisse.

In constructione: de his rebus edendis jam cogitavi, ex quo tempore muneri Rectoris legitime admovebar, nihil inesse vitii, quoique le dernier mot admovebar, ne s'accorde pas en tems avec celui de cogitavi, intelligas quaeso ex Cornel. Nep. in vita Datamis cap. 2. §. 3. ubi haec leguntur verba: Ad quem cum venisset sine praesidio — — — paene interiit, pro interiisset. Alia exempla praetermitto.

Johannem Garcaeum scholae nostrae Rectorem fuisse plane me fugit. Si hunc ordinem à me praeter intentione

P.S. Semi-anno abhinc misi clariss. viro Mr. Delicourt un ecu delegant de Mr. de Peddlik: il n'a pas repondu, s'il l'a reçu ou non!

97v

nem diruptam vellet restituere; meme tibi haberes obligatum ac devinctum, quam qui maxime.

Si quid de ceteris Rectoribus ac collegiis tibi sit cognitum, mecum communices rogo. Hominem non ingratum me deprehendes, sicubi in hac re mihi fueris gratificatus.

Nomina Superintendentum nostrorum et Eruditorum Neobrandeburgensium studio subieci; suo tempore sejungendi sunt.

Illud me praecipue movebat, quod antecessores mei, quos tanta cura è pulvere produxeram, ansam et materiam suppeditabant.

Ad ultimum summopere à Te, vir clarissime, contendo, ut promissi tui non obliviscaris, quod his meis verbis: *Si vous en faites quelque jour une seconde edition, je pourrai vous fournir un assez bon nombre de Remarques, pour y être ajoutées.*

Respondeas ergo, si per negotia licet, propediem; quo in hac re, si minus in alia, frui te praeceptore ac doctore queam. Vale et fave

Tui Nominis

Cultori observantiss.

Gottschlingio.

Dabam Neobrandeburgi
ad diem XV. Aug.
M. DCC. XVI.
properante calamo
ac animo.

M. Gottschling. 15 Augusti 16.